
DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO ;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi Admodum Viri

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto,

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

MATTHÆUS O'BRIEN.

HIBERNUS.

AD DIEM 24 JUNII, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO,

APUD ROBERTIUM ALLAN,

MDCCCL.

VIRO SPECTATISSIMO,
BRYAN SHEEHY,
DE GARDENFIELD,
IN COMITATU LIMERICENSI,
OB
INGENII SUAVITATEM,
MORUM URBANITATEM,
ALIASQUE OMNES HONESTI ANIMI DOTES,
CONSPICUO,
BENEFICIIS QUAMPLURIMIS DIVINCTUS
CALIMI JUVENILIS
PRIMITIAS,
GRATI ANIMI INDICIUM,
DAT, DICAT, CONSECRATQUE,
AFFINIS EJUS
MATTHÆUS O'BRIEN.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

MATTHÆO O'BRIEN AUCTORE.

INSTITUTA hujus almæ academiciæ præstanti et laudabili studio liberalissimam et humano generi utilissimam medicinæ scientiam promovendi conditiæ exigunt, ut unusquisque medicos honores ambiens peritiæ suæ documenta præstaret, et se esse æqualem muneribus hujus perarduæ artis dissertationem alicujus morbi scribendo demonstraret: quocirca his legibus morem gerere cupiens de Rheumatismo Acuto differere decrevi.

A

DEFI-

DEFINITIO MORBI.

CULLENI Cel. definitionem utpote optimam, accuratissimamque omnium, quas apud Nosologos invenire potui, hìc citare æquum mihi videtur.

“ Morbus ab externa, et plerumque evidente
“ causa. Pyrexia ; dolor circa articulos ; mus-
“ culorum tractum sequens ; genua et reliquos
“ majores ; potius quam pedum vel manuum ar-
“ ticulos ; infestans calore externo auctus.”

HISTO-

HISTORIA MORBI.

OBSERVATIONES hunc morbum in frigidis quàm calidis regionibus sæpius obvenire et humano generi vere et autumno præsertim molestum esse testantur. Tamen nil impedit quò minùs ullà alià tempestate contingat, si frequentes vicissitudines frigoris et caloris valeant, quæ causæ nec temperamento cuivis, nec ætati parcunt, sed temperamentum sanguineum præcipue infestant. Hæc affectio a tempore pubertatis usque ad tricesimum quintum annum homines fere invadit. Adduci autem possunt multa exempla, quibus demonstratur, eam etiam ætate provec̄tis pergravem fuisse. Cel. SWIETENIUS hoc modo loquitur * :—“ Ju-
 “ venes tenelli, aliique debiles in hos morbos
 “ proclives sunt, quia in illis latera vasorum faci-
 “ lius cedunt impulsis liquidis.” Morbus ægro-

A 2

ti

* Apud BOERHAAV. Vol. V. p. 649.

ti musculos et articulos, sed præsertim hos affligere annotatur, sese vertens sæpe ab alio ad alium articulum secundum tractum musculorum, qui ad juncturas affectas pertinent. Coxas et genua humeros et cubitos potiùs quàm pedum vel manuum articulos vexans. Carpi et tali frequenter dolent. Frigidum stadium et cætera pyrexix indicia, pulsus frequens, validus et durus hunc morbum comitantur. Pyrexia aliquando formatur priusquam dolores percipiuntur, sed angores fere sentiuntur ante signa quæ eam comitari solent, et raro sedem suam variant cùm cessaverit febris. Sed dum hæc sævit dolores vagantur, et raro fixi manent, sed sæpe articulos varios et hos ante læsos adoriuntur, et sic diu ægrum excruciant. Pyrexia quæ huic morbo adhæret permagna est, vesperi et nocte multùm exacerbatur, quo tempore cruciatus sunt peracuti ab articulo antea affecto ad alium transvolantes. Rubor et tumor juncturam morbo laborantem infestare observantur; qui interdum dolores sublevant. Sed hoc non semper contingit,

contingit, nec obstat quin malum articulos iterato impetu adoriantur. Sudor frequenter adest; non est autem copiosus et raro angorem levat, urina in principio reddita rubicunda est, sed versus finem quum jam pyrexia vim admodum remittat, lateritium sedimentum deponit, sed vel tunc morbus non solvitur, quin frequenter per longum tempus postea durat. Sanguis missus colorem et crustam inflammationi proprium exhibet. Appetitus multum imminuitur, porro lingua est albidula. Sitis et alvus adstricta quoque adsunt. Existit aliquando etiam tussis pergravis quæ ægro- tantem magnopere affligit. Pyrexia quoad tempus varia est, et plerumque in duas aut tres et interdum plures septimanas protrahitur. Sed raro ante diem quintum aut sextum remittit: hac evanescente, dolores maxime levantur. Dum tumor, rigiditas et tensio manent, et minimâ etiam exercitatione recrudescent.

CAUSÆ REMOTÆ.

CAUSARUM omnium quæ Rheumatismum produ-
ducunt, phlogistica diathesis est princeps, quæ ex
applicatione frigoris, vasa extrema constringentis
et incrementum toni in eorum cursu inducentis o-
riginem trahit, unde sanguinis vehemens impetus
exoritur, et ejus libera circulatio impeditur, unde
inflammatio dolorque pendent. Aliæ etiam causæ
hanc affectionem gignunt, nimirum diæta nimis
plena et lauta, vita deses, somnus nimius, evacu-
ationum solitarum, perspirationis nempe, menstru-
orum, materiæque ex fonticulis manantis, sup-
pressio, quæ omnia phlogisticæ diathesi et Rheu-
matismo igitur favent, utpote qui plagarum frigi-
darum incolas vigente ætate et temperamento
sanguineo instructos aggreditur. Has, ut supra
dictum est, Nosologi causas prædisponentes nun-
cupant, aliæ præterea sunt quæ stimulando corpus
vim

vim suam exercent, et appellantur excitantes. Harum prima est frigus, cujus effectus, quando corpori plus satis calenti admovetur permagnus est, et inter frequentissimas et potentissimas rheumatismi causas enumerantur. Ad hoc illustrandum verba accurati et Cel. SYDENHAMI in medium proferam, “Hac, ut plurimum occasione nascitur; æger scilicet, sive exercitio, alioque vehementiori, sive alio modo excalesfactus, mox repentinum frigus admisit.”—GREGORIUS noster, a suggesto, verbis frequenter enunciavit nullam esse causam tam exitialem quàm frigus humiditate stipatum corpori vel brevi applicatum.

CAUSA

* SYDEN. Observ. Med. p. 302.

CAUSA PROXIMA.

DE Causa Proxima morborum multæ et variæ sententiæ admodum adhuc obscuræ oblatæ sunt. Multi tamen opinati sunt, obstructionem vasorum extremorum inflammationi ortum dedisse, et hanc ex lentore quodam provenisse *. Alii salinam et acidam sanguinis acrimoniam in culpa fuisse censuerunt. Sed CULLENI longe alia mens est. Vir ille optimus tales causas nullis claris argumentis vindicatas fuisse autumat, dum ipse spasmum arteriarum extremarum ita sanguinis cursum impedire, ut earum actio vehementer intendatur, et ab hac causa Rheumatismum et alias affectiones inflammatorias originem trahere, ponit ; nisi quæ stimulis directe adhibitis exoriuntur, et etiam hinc fortè stimuli spasmum vasorum extremorum producere queunt. A CULLENO porro notatur, rheumatismum

* BOERH. et ejus Sequaces.

matissimum esse speciem inflammationis, quæ manifeste editur vel e frigore admoto ad vasa plusquam satis distensa. Vel ex impetu vehementi et nimia distensione vasorum priùs constrictorum, inde hoc malum sæpius sævit, cum vicissitudines caloris et frigoris multum valeant.

B**DIAG.**

DIAGNOSIS.

METHODUS necessaria obtinendi perfectam et accuratam diagnosin, sedulo et juste observando morborum omnium phœnomena acquiritur. Quoniam sanatio eorum admodum adjuta est clarâ et dilucidâ diagnosi, summâ ope niti debemus, ne in iis distinguendis decipiamur præcipuis affectionibus, ad quas similitudine accedit Rheumatismus. Hæ sunt podagra et syphilis, scorbutus et nephritis. Multi tamen censuerunt, illum in nonnullis exemplis vix posse a podagra secerni. Sed maxima ex parte discriminari possunt rite observando prædisponentes et antecedentes causas, partes læsas et recursus hujus, et etiam quomodo alias partes systematis invadit, quæ res duabus in morbis plerumque se habent diversè: differunt etiam in quantum ille adolescentes et robustos, fœminas etiam sæpius quam viros infestat. Quinetiam a pubertate usque ad tricesimum

mum quintum annum mortales affligere annotatur. Sed hæc, post hanc ætatem raro urgere observatur, nisi ex labe hæreditaria pendet. Si res sic sese habeant, ante annum viceesimum interdum evenit. Ille quoque articulos adoritur, præsertim majores, tractum musculorum sequens; et oritur a causa plerumque evidente et externa. Hæc non originem debet hisce causis, sed ut plurimum labe hæreditariæ. In illo pyrexia dolorem plerumque præit, in hac autem angor est primum indicium; in illo angores sæpius quàm in hac sedem mutant. In hac porro cruciamentum cum affectionibus ventriculi et aliarum internarum partium variat; quod apud hos Rheumatismo laborantes minimè obtinet.

In discernendo Rheumatismum a Syphili comperimus dolores in posteriore partem mediam ossium etiam durissimorum angere, sicut cranii et tibiæ, dum in priore ossa extrema et articuli secundum cursum musculorum torquentur. Inter

causas remotas scorbuti, notatu dignissimum est eos vescentes carne multo sale conditâ præcipue affligi, (præsertim si caro sit putrida, et proclivitas ad putredinem in iis appareat) et maculas diversi coloris. sed plerumque livescentes, præsertim ad pilorum radices apparere, cum propensione ad hæmorrhagiam, signa, quæ nunquam Rheumatismum comitantur. A nephritide hoc modo distinguitur. In hac enim dolor in regione renum et ureterum iter sequens nunquam non occurrit cum retractione testiculi, et torpore cruris lateris affecti. Vomitu frequenti, alvi sæpe duritie, doloribus colicis, quinetiam urina ruberrimâ, frequenter et parcè redditâ hæc designatur. Æger præterea, non ita in hac, ut in illo, partem eandem vexante trunci corporis motu torquetur. Species est Rheumatismi quæ chronica nominatur quæ sic discernitur ab acuta. Posteriores semper comitatur pyrexia, cum exacerbatione permagna vesperi quæ augetur per noctem, sed in priore per hoc tempus febris evanescit, tumor et præsertim rubor
arti-

articularum penitus discedunt. Quum dolores perissent quosdam articulos afficere, qui rigidi manent et vexantur agitatione vel vicissitudinibus tempestatis, hæc omnia tendunt demonstrare speciem esse chronicam, de qua a proposito meo alienâ nunc nolo differere.

PROG-

P R O G N O S I S

IN hoc morbo ut plurimum fausta esse potest, præcipue si ægrotus adolescens et valido corporis habitu sit. Cùm fenes et debiles aggreditur, aliquando post se relinquit anchylosin aut paralyfin articuli morbo afflicti. Si hoc malum frequenter eundem vexet, et per longum tempus in eodem articulo fixum maneat, in teneris etiam ætatibus formam chronicam induere solet. Dum partes externas solummodo adoritur parum formidolosum est. Non equidem memini me unquam audivisse id lethale fuisse, nisi sedem variet, et per metastasin removeri possit ad quoddam internum organum scilicet cerebrum, pulmones aut ullum aliud viscus internum, unde inducere queat morbos periculosos, ut delirium, apoplexiam, pneumoniam, et multas alias pestíferas affectiones quæ in vera specie Rheumatismi raro contingunt. In

his

his quidem casibus vel arthritidi conjunctum esse, vel hanc pro illo falsò accipi, credo. Subita doloris atque tumoris partis antea tentatæ cessatio, anxietas, palpitatio, pulsus debilis, præter partis internæ affectionem, symptomata sunt, quæ talem mutationem designant. In genere, vix unquam morbus in suppurationem abit, ob partium læsarum densitatem, quæ pus haud facile admittunt. Hoc tamen interdum aliter accidere potest*.

Gangræna, quoad ego reperire potui, nunquam inducitur. Ex octoginta et septem ægris, qui FOWLERI curæ commissi fuere, duo tantum obierunt. In uno, metastasis a juncturis caput versus, delirium produxit: in altero, pulmonum læsio exitium attulit. Denique, si ægrotans ætate florenti, sana corporis conditione, et ab aliis morbis immunis sit, si pyrexia signa non admodum sæviant, sudor generalis copiosè fluat, urina sedimentum largum atque lateritium deponat, somno parum turbato fruatur, si respiratio facilis,

* Vid. STORK. *Annal. Med.*

cilis, appetitus faustus et alvus libera sint, de felice, citaque terminatione vix hærere debemus.

Pauca hïc mihi subjungere liceat, quæ forte ad prognosin haud male pertinere videantur. GREGORIUS noster Pyrexiam in uno Rheumatismi casu eò magnitudinis progredi, ut æger miserimus morte mulctatus fuerit, se ipsum vidisse affirmat.

De insidiosa febris Rheumaticæ specie quæ mense Septembris 1752 occurrit, hoc modo loquitur FOTHERGILLUS:—“ This fever is at first
 “ perceived by slight shiverings, acute pains of
 “ the limbs, shifting with great quickness from
 “ part to part; the heat not immoderate, the
 “ pulse for many days not much quicker than in
 “ time of health, the belly rather costive, and
 “ the urine commonly clay coloured. After several treacherous remissions, the head is at
 “ length

“ length attacked ; a delirium, watchfulness, or
 “ coma vigil, and spasms of every part succeed,
 “ which end unhappily. Whatever evacuations
 “ seem necessary must be directed early ; what-
 “ ever weakens must, in the progress of the dis-
 “ ease, be avoided, and stimulants applied with
 “ moderation. Sometimes aphthæ of a benign
 “ aspect happily terminate the disease. If a dark
 “ coloured ichor discolours the lips or tongue, the
 “ event is too often fatal *.”

C

METHODUS

* FOTHERGILL'S Works, Vol. I. p. 192.

METHODUS MEDENDI.

DE præfenti inflammatione partium quarundam et diathesi phlogifticâ systematis totius in Rheumatismo Acuto haudquaquam dubitandum est. Ex his rite perpenfis, curatio omnino pendet. Regimine antephlogiftico imprimis utendum est. Diæta animalis ægris nullo modo concedenda est. Liquores omnes, qui fermentationem subierunt caute fugiendi. Cibus e vegetabilibus, vel lacte conftans pro his ufurpandus, potus etiam diluentes multum valent. In regimine fupra dicto fanguinis miffio remedium præcipuum est. Hæc copiofa effe debet, et repetenda, prout pulfus frequens, plenus vel durus evadat. Principio mali, fanguinem, ut videtur, largiter mitti oportet. Sed hîc caute admodum agere debemus, quoniam, debilitate, hydrope, et fpecie etiam morbi chronica hoc modo facile inductis, ægri tarde convalefcunt,

lescunt, quæcunque corpus stimulant, evitanda sunt. Frigus, exercitium etiam modicum, sitis et alvus astricta inter hæc recensentur. Sanguinis detraçtio generalis vires nimium sæpe imminuit, topica igitur pro hac usurpata symptomata gravia haud minus interdum levat, præsertim, quum tumore atque rubore articulus ullus tentetur, quando autem inflammatio partialis non est, tali evacuationi locus non datur. Hirudinibus multis, vel cucurbitulis cruentis parti dolenti applicatis sanguis topice mittitur.

Sed prior methodus posteriori, quæ majis irritat, jure præfertur. Diathesi inflammatoriæ remedio est purgatio, dummodo lenis, adeo ut systema non stimulet, sales neutri ob vim refrigerantem ad hoc recte adhibentur, acida vegetabilium nativa aqua diluta vim fere eandem possident, si-
 tim enim aliquatenus reslinguunt, corpus frigidulum reddunt, excretiones promovent, et palato grata existunt. Sodæ vitriolatæ uncia cum se-

miffe ad intestina evacuanda sufficit. Infusi fenæ unciaë tres vel quatuor unà cum uncia dimidia salis jam nunc dicti, et Tincturæ Jalapii drachmâ porrigi possunt. Mitiora autem præstant. Ex his Manna et Cassia dosibus exiguis et sæpe repetitis optime administrantur. Illius uncia dimidia cum pulveris Crystallorum Tartari scrupulo omni hora ad alvi solutionem repetita utilitatem non parvam exhibet, præcipue si aquam hordeatam interea largiter hauriat æger. Soda etiam phosphorata merito laudari videtur, ejus uncia ex aqua, vel jusculo in dosin sufficit. Vim cordis atque arteriarum hæc omnia imminuunt, sudorem eliciunt, vasorumque extremorum spasmus remonent. Purgationem non æque ac Venæsectionem valere, notandum est.

Quum morbus jam generalis et violentus evadat, fellæ frequentes non solum non profunt, verum etiam nocent, ut fæcum tamen retentiarum irritatio avertatur, clysmata refrigerantia atque emollientia

emollientia plurimum valent. Rubefacientia, et inter hæc camphora et sinapi, partibus dolentibus applicata omnibus aliis præstant. Levamen autem ex his admodum breve est, doloremque locum tantum mutare cogunt, nisi cruciamentum sit fixum, veficatoria parum commodi præbent. Efficacissima atque tutissima medendi methodus hæc esse videtur. Post venæsectionem generalem absque medicamentis stimulantibus, calore externo, aut corporis exercitio sudorem, qui per duodecim saltem, viginti quatuor nonnunquam, vel etiam quadraginta et octo horarum spatium continuari debet, elicere oportet, ut generalis fiat, necesse est. Ne aëri frigido ægrotans pateat cavendum, accinctus ad sudorem, indusiumque laneum indutus lectulo cohibendus. Vestimenta lintea hinc locum non habent. Pulvis Ipecacuanhæ comp. modicè, sed sæpius iteratus interim adhibitus, fructu non caret. Balnæum calidum, fomenta extremitatibus inferioribus applicata, liquores tepidi, aqua scilicet hordeata, et serum lactis præcipue, largiter

ter et frequenter hausti, sudorem similiter commode provocant. Remediis hisce sudorificis julapium salinum multum auxiliatur. Vomitus, utpote quæ secretiones varias promovere solet, haud inutilis esse videtur; propter autem irritationem nimiam, quæ hanc comitatur, emetica ita porrecta ut nauseam excitent, a medicis non parvi nominis, experientiaque longâ fultis ut potiora atque tutiora commendantur. SAUNDERUS Londinensis Cinchonam laudavit, sed diathesi inflammatoriâ subactâ, hanc prebere oportet; tum etenim tantum prodesse potest. Morbo remediis talibus jam remoto, causam unamquamque excitantem evitanda, diætamque blandam ex farinaceis et lacte potissimum constantem, usurpando, proclivitati adarthrodyniam obviam ire oportet.

FINIS.

